



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Maria De Victoria. 7. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. MARIA DE VICTORIA,
7. Octobris.

IO ! hodie, io ! clama, triumphe! quis-
quis VIRGINI faves VICTRICI.
Agebatur annus post VIRGINEM pa-
rientem supra millesimum & quingen-
tesimū septuagesimus primus, quando
Pius V. Pont. Max. contra Turcarū vim
metumque belli societate cum Hispa-
niarum Rege & Venetorum Republica
feliciter inuit. Adornata itaq; classis est,
& Ioanne Austrio Duce hosti plenis
velis ac animis obviam est itum. Mox
nostris triduo jejuniis & Sacramentis
Ecclesie probe munitis, classicum DEL
& MARIE nomen cecinere; tunc vero
omnibus viribus certatum est, eo ipso
tempore, quo, quas Rosarii vocant So-
dalitates, de more supplicationes ad
castissima VIRGINIS pulvinaria per
totum orbem instituunt. Nec frustra.
Stetit nostrā ex parte ACIES ORDI-
NATA, & cum hāc nobis etiam venti
militarunt. Proinde horarū quatuor nec
amplius spatio parta memorabilis ad
posterorū victoria est. Casa etenim cum
ipso Duce suo barbarorū millia triginta,
in libertate Christiani asserti ter mille,
quadringenti octoginta & sex. Naves
captæ nonaginta supra centum. Octo-
ginta vel flāmis vel vudis haustæ, fugā
non nisi XX. elapsis, Tormenta in præ-
dam

dam cessere majora sedecim supra centum, minora verò ducēta, quinquaginta & sex. Atque hoc est, quod Opt. Pont. de victoriā divinitus edoctus triumphū VIRGINI decrevit, quotannis iterandum, quodq; non pauci è victore exercitu hostilia spolia ex voto ad Arā Laurentanam suspenderint. Fatale nimirum LVNÆ est ad VIRGINIS pedes abjici. Ex Io. Gab. in vitā Pii V. & Pet. Spin.

S. GEROLDVS M. 7. Octobris.

GEROLDVS à puero pietatem Ducem secutus facilè ad ipsa adyta virtutis penetravit, multas tamen identidem pro castitate pugnas pugnavit, vincendus, nisi aliis armis, quàm nunc amat adolescentia, usus fuisset. Nimirum hodie nativā in galeā suā tam molliter cristata frons ictus Cupidinis eludet? in thorace tam vulnerato non minùs lacer animus tela improba repellet? tot vincula etsi serica, vincula tamen, fugam in hâc luctâ tam laudatam promovebunt scilicet? Aliter GEROLDVS noster pugnavit. Ille fame hostem obsidere, ille animum precibus, pectus cilicio, manum flagello obarmare, toties victor, quoties cæsus, & aversis vulneribus nobilior, quàm adversis Romanus: quæ ille tunc potissimum non horruit, cum interpias commentationes cæsum Ducem
ob